

F. F.  
CONTROVERSIARUM  
MEMORABILIUM, NOVARUM  
MAXIME,  
*DE*  
**DEO**  
**TRINUNO,**  
**COLLECTIO,**  
Quam  
*SVB PRÆSIDIO*  
**D. PHILIPPI LUDOV.**  
**HANNEKENII,**  
Prof. Theol. Ordin. & Consistorii Elector.  
Assessoris,  
IN THESI ORTHODOXA,  
PUBLICÉ DEFENDET  
**JUST'US HENR. LANGSCHMIDIUS,**  
HANNOVER. *Ex. 11. 7.*  
DIE XXXI. JANUAR. ANN. MD CCIV.

WITTENBERGÆ, Literis CHRISTIANI GERDESII.





J. J.  
CONTROVERSIARUM MEMORABILIA,  
COLLECTIO.  
*DE*  
DEO TRINUNO.  
*Thes. I.*



St residuum quoddam ex imagine amissa Dei lumen in anima hominis, quod cognitionem præstat aliquam summi Numinis, & Theologis vocatur Notitia Dei naturalis; Habitus quidam actu insitus, & rationis exercitio indies se magis exferens, de quo & illustres gentes per experientiam suam testantur, & ad eum revocant non usurpatum, aut male collocatum, Scripturæ S. Rom. I. & II. Fallunt *Cartesiani*, qui Ideam Dei in animo hominis inesse profitentur, cum habitus notitiæ illius sit divinitatis conceptus, qui actu nil repræsentat, sed consideratione motus creaturarum in exercitium erumpit, & quod insitum erat, ostendere incipit; non insitum secundum phantasiam

A 2

ideam-

ideamque sensualem, sed secundum intellectus aestimationem, ipsa natura ad id compellente; juxta illud Ciceronis: *Omnibus innatum est, & quasi inscriptum, esse Deum.* Et Senecæ: *Est profecto Deus, qui que nos gerimus auditque & videt.* Contra Socinianos & Flacium, qui insitam notitiam naturalem negabat; & contra eos, qui prixin divinæ cognitionis in repræsentatione sensuali collocant.

### Thef. II.

A defectu autem imaginis divinæ per lapsum Adami eclipticum id lumen factum est multis modis, nec penetrat in modum cultus divini; Cultus enim ratio & modus a revelata pendet voluntate; Naturalis adeo nulla est religio, secundum quam cultus Deo placens præstetur; qui non præstatur, nisi per revelationem ex sinu Patris loquentis Filii, tum per Prophetas, tum per semet loquentis, qui Lux est omnem hominem illuminans in hunc mundum venientem *Job. I, 9. sequ.* contra Naturalistas.

### Thef. III.

Interea Deum esse, natura dicit & docet. Quicquid contra naturam quidam excæcati disputent aut faciant. Contra Scholasticos quosdam, negantes per se notum esse quod Deus sit, cum dentur Athei id negantes. Et contra Cartesianos, intellectui per sensuum falsibilitatem bellum indicentes, cum Theologi argumentantur pro notitia DEI naturali a motu universi admirando, & causarum in illo connexione, quæ argumenta sensuum sint, sed fallentium; Cum illa omnia concinnant internæ intellectus manifestationi *Rom. II, 14. 15.* Habent Scholastici quidem hic aliquam phraseos suæ sub-

subtilitatem, cum explicant id, quod per se notum est; quod videtur dicendum, cum, perspecta terminorum significatione, quisque non potest non assentiri. Existimamus autem per se notum esse hoc loco id dici, quod naturaliter intellectus percipit, imo intra se tenet. Quærenti nunc an detur notitia talis in homine, qua per se constet esse DEUM; respondendum est, constare per se, cum homo naturaliter sciat, Deum esse, eamque notitiam exercitio rationis in contitucreaturarum indies magis exferat. *Cartesianos* quod attinet, facile illi refutantur, cum consideramus, consensum sensuum externorum applaudere interiori lumini intellectus, nec esse rem notitiæ naturalis Dei ad experimentum sensuum revocandam, sed sensus ipsos esse vocandos ad intellectum naturalem. Adjicimus in hoc paragrapho quæ alias solent hic ex *Aristot.* *De Tabula rasa* opponi, cui comparet humanam mentem, & cui varia possint inscribi antea non apparentia. Respondetur Tabulam Aristotelis rasam intelligendam esse non de notitia seu cognitione noëtica & apprehensiva; sed de dianoetica & discursiva. Mens enim nostra tenet habitum principiorum naturalem, quæ in discursu se deinceps exprimunt & dilatant. e.g. Natura humana habet sensum notitiæ Dei intra semet ante omnem discursum, & talem quidem qui in omni subiecto cum aucta ætate nullo alio alloquente & explicante, sese magis magisque manifestat. Hic videmus discrimen inter possessionem notitiæ naturalem, & inter ejus exercitium.

#### *Theſ. IV.*

Per revelationem Deus innotescit ad salutem *Job.*  
*XVII, 19.* Cognoscitur Deus vel *absolute* ratione Essen-

A 3

tiæ

tiæ suæ *Exod. III, 14.* vel in relatione personarum, ut tres sunt, Pater Filius & Spir. S. Ita cum Deus dicitur aut cogitatur in cultu vero, non est alius nisi Trinunus. Et inde nomen DEus ex impropria & abusiva denominazione subtractum, verum sustinet & proprium significatum, quo cognoscitur, non esse DEum alium præter unum verbo manifestatum. Contra *Socinianos* præcipue negantes soli creatori id nomen competere. Tribuitur quidem in S. Scripturis etiam nomen Deus creaturis & quidem admodum *abusive* Diis gentium, deinde etiam *nuncupative* Angelis & magistratibus humanis, per quandam analogiam & particulam similitudinis. Cæterum quis non videt, non esse hanc propriam significationem. Quando autem quæritur an solus Deus sit verus Deus? Respondetur. Nomen Dei proprie intellectum non competere nisi soli Deo, cui dicitur *substantive* competere *I. Cor. VIII, 5.* Trita est inter Eruditos distinctio trigeminæ viæ, qua Deus cognoscatur; prima est *Causalitatis*, qua ex consideratione secundarii & subordinatarum causarum tandem pervenitur ad primam & summam; in subordinatione enim rerum dependentium inter se non datur processus in infinitum. Ita cognoscitur Deus in relationibus suis, cum consideratur ut Creator, ut *Conservatur*, ut *Gubernator &c.* secunda via est *Eminentia*, qua quicquid est eminens in creaturis, id eminentissima ratione Deo tribuitur; Ita cognoscitur in attributis essentialibus, cum bonus, cum justus & ita porro vocatur. Tertia via est *negationis*, quando omne id ab ipso removetur, quod in creatura imperfectionem involvebat; ita negatur in Deo finitudo, cum dicitur infinitus, & aliæ imperfectiones cum immensus, cum independens, æternus & sic porro vocatur. *Novatores* existimant,

stiment, non esse sat congruam rationem cognoscendi Deum, quæ sumatur a cognitione Creaturarum; videri enim rationi non adversantem processum in infinitum, cum certe Deus ut infinitus isti processui videatur obiecti. Verum non attendunt illi, quod Deus condescendens nostræ imbecillitati cognoscatur ea via, qua infinitum in ordinatione causarum ponitur, ut tandem in nexu causarum sistendo offendamus causam infinitam, quæ Deus est finitione causarum omnium a se pendentium. Unde Deus vocetur, varie disquirunt Eruditi. Sufficit per id nomen id poni in nostra meditatione & intellectu, quod non est creatura, sed omnis creaturæ Architectus; Et cum sufficientissima sit illa necessario in productione omnis boni causa; non fit perperam cum Deus dicitur esse ab Hebræis *Schaddai*. Arminiani docent, etiam cum vera dicantur de Deo, non dici absque periculo. Verum licet cum veneratione magna debeamus de Deo cogitare & loqui, tamen cum se diserta veritate nobis in salutem revelaverit, ea veritas non est periculosa dicenda, sed maxime ut salutaris amplectenda.

### *Thes. V.*

In verbo revelato Deus varie nominatur, tum a singulari modo essendi, tum per condescensum ad nostram imbecillitatem. Ab *essendo* vocatur Jehovah, יהוה & אֲהֹוָה per *condescensum*, cum vocatur inadæquate, re-præsentatione quadam & quasi certo modo suæ ostensionis. Ita vocatur אֱלֹהִים, Adonai, κύριος, & Dominus, uti LXX. Interpretibns placuit Nomen יהוה exprimere, vel quod superstitione ducti nollent aliter, vel quod non possent. Castalio vertit per Jovah, Junius per Jehovah, Galatinum, exscriptorem Reimundi Martini in pugione fidei,

fidei, secuti, expresserunt. Contra Grammaticos Criticos  
quosdam. יְהָוָה Nomen certe est Essentiæ infinitæ, &  
incommunicabile Creaturis Eſ. XLII, 8. Quæ dicta sunt  
de triplici via Cognitionis, qua poterant explicari attri-  
buta Divinitatis, Causalitatis, ut est Creator, Conservator  
&c. Eminentia, quando perfectiones Creaturarum intel-  
ligendæ sunt eminenter de Creatore; Porro quando ne-  
gativa alienant omnem imperfectionem a perfectissimo,  
solent hic attributa eminentiæ dici communicabilia; Ne-  
gationis autem in communicabilia; Ubi tam bene ob-  
servandum est, hæc ad nudam creaturam comparata  
recte dici; at vero comparata ad creaturam exactam in  
communicationem majestatis per potentiam infinitam,  
de ea non valere incommunicabilitatem. Et vero ea  
natura est humanitatis assumptæ unius in personam in-  
finitam Filii Dei, de qua suo loco agetur. יְהָוָה Nomen  
certe est incommunicabile Creaturis Eſa. XLII, 8. & pro-  
prium adeo, licet quandoque per compositionem in Ti-  
tulis Psalmorum & denominationibus inveniatur, in  
quibus res non vocatur Jehovah, sed ejus esse dicitur,  
aut ad eum pertinere. Exod. XVII, 15 Jud. VI, 24. Jehovah  
Nisi, id est pacis. Exod. VI, 2. hoc nomine non dicitur  
ignotus fuisse Deus Patribus ante Mosen sed affirmatur  
figurata negatione in Hebræo per לֹא per הַלֵּא, per non  
pro annon fuisse cognitus, qui certe crebra apparitione,  
ut Creator & Essentiator totius mundi ipsis apparuerat.  
Qui negant Deum Patribus ante Mosen suum hoc no-  
men indicavisse, varia explicatione, sed insufficienti di-  
stinentur. Necessarium enim est omnino, manifesta-  
tum eis fuisse Deum rat. Essentia, quam nomen ipsum  
Jehovah exprimit. Notamus ex Maimonide in Doct.  
perplex. part. I. cap. 61. omnia Dei O. M. nomina, ita sentit,  
quæ

quae in libris sacris inveniuntur, derivata sunt ab operibus ejus, unico excepto Jehovah, quod est Nomen DEI proprium, unde vocatur Schemhamphoras, Nomen expositum, quia clare & citra ullam aequivocationem de substantia Creatoris docet. Cum Angelus vocatur absolute Jehovah, fide Veterum interpretum & fidelium Doctorum intelligendus est increatus λόγος θεος Exod. XXIII, 21. Contra Socinianos & Arminianos, in quo argumento potest conferri nuperum programma nostrum in die Michaëlis Archangeli, quo explicavimus solum Filium DEI sustinere characterem Angeli in Veteri Testamento propter futuram incarnationem, quae cum nec Patri, nec Spiritui Sancto competit, inde Angeli denominationem ipsis non competere; unde conficitur, cum Angelus in Veteri Testamento vocatur Jehovah, necessario esse intelligendum Filium DEI.

### Thef. VI.

Nomen אלהֹן est plurale ab אלהֹן, & significat pluralitatem personarum in Essentia divina, unde & verbo singulari jungitur per rationem agentis in tribus personis unius Essentiae Gen. I, 1. Vanum est, more Magnatum Mundi, illum pluralem in sacris usurpari; & fallitur admodum Scriptor Arminianus a Limborch, cum pluralem de Sacro-sancta Trinitate loquentis Servatoris Job. III, 11. eo modo vult explicatum. Commentum Grotii est, pluralem hunc per Ellipsin אלהֹן esse intelligendum, quasi dicatur DEUS Deorum, quomodo a cogitatione omni plurium Personarum in divinitate abduicti facili lapsu Judaeis applaudere disceremus. Impium est, crisi Judaeorum oberrare, cum tota oeconomia salutis humanae, & clarissima Lux Evangelii eam

B

nominis

nominis afferat rationem. *Contra Socinianos, Arminianos & Judaizantes Grammaticos.*

### *Thef. VII.*

Nomen Adonai cum est Appellativum & plurale, cum τ extra pausam seu accentum majorem distinctivum, est proprium DEI, quod pro Jehovah legunt Judaei, & junctum Nomini Jehovah per Elohim exprimunt. Vid. *Maimonides* in *Doct. p. I. cap. 61.* Quae superstitione hic fovent Judaei, ipsis relinquimus.

### *Thef. VIII.*

Attributa divina quae dicuntur, sicut sunt nobis DEUM modo inadæquato, & identidem per Condescensum & sunt ipsa Essentia divina, se effectu aliter atque aliter ostendens; cum proprietates aut propria vocantur, non debent cogitari per modum quarti praedicabilis logici, sed per rationem Attributionis, Essentialiae simplicitati divinae competentis, adeo, ut effectus extra DEUM in variis objectis divisi & distincti, in mente nostra nobis forment aliam misericordiam, aliam justitiam, cum DEUS ipse immutabilis sit idem justus, qui misericors. Inde dicuntur a parte rei seu in *sensu iden-*  
*tico* *Attributa esse idem cum essentia, & inter se, non*  
*autem in sensu formalis.* Vid. *Becanus Jesuita in Theolog. Scholastica de Attributis divinis.* Inadæquatus ille conceptus non facit errorem in nobis sed arguit nostram imperfectionem, quando per multos conceptus inadæquatos, aliquo modo conamur ad agnoscendam DEI perfectionem eniti. *Contra Socinianos, Forstium, Judaeos &c.*

### *Thef.*

## *Theſ. IX.*

DEUS est Spiritus independens & infinitus, quomodo spiritualitas ejus singularis patet, cum angelis & anima nostra non collocanda inter Univoca. Inde & quicquid in Creatura reperitur, ut communicatum a proprietatibus divinis, id non habendum est tanquam communicabile essentiae divinae bonum, sed tanquam effectus divinae voluntatis & potentiae. Qua annotatione non negatur communicabilitas priorum divinorum in mysterio incarnationis, in quo natura humana non sustinet statum nudae creaturae, sed cum communicata persona infinita ipsius Creatoris induit maiestatem, de quo suo loco. Contra *Socinianos & Fanaticos alios, Anabaptistas & Pietistas* multos, qui communicabilitatem essentiale DEI somniant, & animam particulam aurae divinae, juxta eam communicationem dicunt.

## *Theſ. X.*

Simplicissimus est Spiritus omnis expers compositionis, quocunque ea apud Philosophos nomine veniat, seu *Logica* audiat, ex genere & differentia, seu *Physica*, ex materia & forma, aut partibus quantitativis, ex subiecto itidem & accidente. Praedicatio enim attributorum non est accidentium, quae in DEO non sunt, ut in *subiecto inhabetionis*, sed *attributionis*, & singularis conceptus. Et DEI actiones non fiunt per qualitates & habitum naturae superadditum, sed per naturam & essentiam; seu *Metaphysica* sit exactu & potentia, DEUS enim est actus purissimus, item ex natura & supposito, quae in creatura se habent tanquam componentia extrema realia,

B 2

quae

quae de DEO dicere absurdum est. Nisi velimus cum quibusdam docere, compositionem *ex natura & supposito*, item *ex esse & essentia esse compositiones rationis*, quae non importent Compositum reale. Tuitius tamen esse existimamus, prorsus a termino illo abstinere, cum vox compositionis sit summae simplicitati adversa. Contra *Socinianos*, *Vorstium & alios Metaphysicos*. De DEO sic loqui convenit, ut nec Spiritualitati ejus, nec simplicitati purissimae quicquam derogetur. Inanissimas adeo sunt speculationes, quae & in attributis, & personis seu relationibus aliquid concipiunt, quod praeter claram Personarum distinctionem quicquam inferat identitati essentiae adversum. Inde non sunt excusandi *Pietistae*, existimantes, homini in Ecclesia evangelica nato ejusque simplicitati id indulgeri posse, ne terminum essentiae, Personae & Trinitatis usurpet, dummodo rem ipsum credat, Vid. *Dn. D. Schetwig.* in *Synopsi superius laudata Art. 6. qv. 2.* Certe enim res credenda hic, quam Ecclesia orthodoxa per terminos illos consuevit explicare, non potest aliter quam in terminis illis percipi, & simplicitas essentiae docenda est non refragari personarum pluralitati, quae in sacris literis exprimitur per alium & alium & alium, ut tres distincti sint credendi, Pater, Fil. & Spiritus S. qui non melius possunt concipi, usuali admodum ratione fidelium, quam Trinitate Personarum. Certe enim qui DEUM non credit sub Oeconomia trium personarum non credit verum DEUM.

### *Thes. XI.*

Unitas Dei ut credenda est a revelatione, quae, in simplicissima Essentia, pluralitate gaudet personarum, a creata natura ejusve lumine nec innotescit, nec doce-  
ri

ri ad fidem divinam potest, licet egregia inde argumenta Viri ex revelatione erudit deprompserint; quale est insigne in hac causa Compendium *Maresianum* Loc. 2. System. §. 24. Ubi ita: Deum esse unum, agnovit ab aevo sapientia Mundi, & ratio multiplex persuadet. Nam cum Ens & unum convertantur, debet Ens perfectissimum esse maxime unum; & ordo intentionis in uno, definit; & executionis incipit ab uno; nec potest causa infinita & omnipotens esse nisi una; Et mundi unius regimen tam concors unum tantum rectorem profitetur, ut nusquam plurium Deorum signa possint deprehendi. Sed Gentium sapientes plurimi polytheismum etiam improbaverunt; at non tam ex agnito Numine uno, quam ex non agnito uno vero inter tam multos. Ita enim habet Lumen naturale, ut magis deprehendat, quod falsum est, quam quod verum. Ita Sapientes Gentium ductu luminis naturalis facile argumentabantur adversus ineptissimam divinitatem idolorum, illorumque multitudinem calumniabantur, ut tamen non invenerint unum verum Deum. Contra *nonnullos* nimium illis argumentis pro unitate Dei ex lumine naturali tribuentes.

## Thef. XII.

Vivit Deus, qui purissimo actu est *ipsa vita*, a quo omnis est vitalis motio in creaturis & ipse intellectu suo & voluntate, & potentia infinitam vitam perfectissime ostendit. Igitur scientia ejus est Omniscentia, simplicissimo cognitionis actu noëtica, non dianoetica & discursiva, (qualis nostra est,) quae & ad futura & cordis nostri arcana respicit *Psal. LVI, 9. 1. Reg. VIII, 39.* Cum DEUS dicitur praescire, id non dicitur secundum

naturam DEI, sed secundum condescensum in nostram  
imbecillitatem; quod ita explicat *Augustinus L. II. ad Simplicianum qu. II.* Quid est praescientia nisi scientia futurorum? quid autem futurum est Deo, qui omnia super creditur tempora? Si enim in scientia res ipsas habet, non sunt ei futurae, sed praesentes; ac per hoc non jam praescientia sed scientia dici debet. Certe Deus futura omnia ut actu sibi praesentia cognoscit; attamen ratione ipsius creaturae post tempus ita & aliter habiturae, dicendus est praescire, uti homines de futuris sciunt. Quae *Thomist&* nonnulli hic dicunt, de reali existentia rerum in scientia Dei, sumto argumento ab aeternitate Dei, in qua nulla sit rerum successio, tricis involvuntur. Realis enim existentia est rei extra suas causas ipso actu existentis essentia, quae de futuris in Dei scientia non possunt dici, licet ipse res futuras propter infinitam visionem ut praesentes contueatur. Satis igitur est, docere, Deum scientia divina scire omnia futura, & in causis suis latentia, & conditionibus variis involuta, etiam non existit. Qualia nec angeli nec homines scire possunt. Contra *Socinianos & alios* nimium philosophantes; cum quaeritur, an certitudo praescientiae divinae tollat arbitrii libertatem? Respondeatur non tollit; cum Deus scientia sua non influat effete in nostras actiones, sed motione sua, si bonae sint; si malae, non factas velle; quas videat futuras. *Becanus Jesuita in Theolog. Scholastica, de scientia Dei,* Theologos dicit valde torqueri hoc argumento, quo & ipse torquetur. Deus ab aeterno videt Anti-Christum peccatum, Ergo Anti-Christus peccabit. Cui tormento non medetur Regulis suis dialecticis de Conditionalibus propositionibus. Debuisset respondere ex reipsa,

reipsa; scientiam divinam non esse causam rerum futurorum, licet res futurae certo eveniant, quod Deus eas ut futuras praevidet. Futuritionis enim ipsarummet rerum causae habent influxum causalem in effectum hunc, ut existant, qualis influxus non pertinet ad praescientiam Dei. Secundum hypotheses *Patronorum absoluti decreti* recte dicitur, res non praesciri a Deo quod ita sint, sed ita esse & fieri, quod praesciantur. Cum enim scientiam visionis divinae considerant conjunctim cum Dei decreto, quod sit actus voluntatis & intellectus, practicam eam dicunt & rerum causam. Et praescientiam Dei non sibi ponere suum objectum sed illud a Dei decreto consequi; & per prius aliquid esse futurum quam praesciatur, aut praenuncietur, quae sunt verba *Maresii in annotat. ad §. 41. Loc. II. Syst.* Igitur nil fit in rerum natura nisi cum decreto Dei, quod cum absolutum esse doceatur, quomodo confisit Libertas creaturae rationalis, & quomodo vindicabitur Sanctitas Dei circa peccata? Contra *Maresium & alios absoluti decreti doctores.*

### *Thef. XIII.*

Cum Deus dicitur velle juxta liberrimam rationem, & esse ejus voluntas unica, tamen ratione variorum objectorum aliter atque aliter dicendus est velle, unde voluntas ejus non quidem *contraria* sibi, attamen *distincta* deprehenditur esse. Quemadmodum homo sibi ipse non est contrarius, cum quaedam cupit effecta sub conditione, quaedam sine illa. Deus enim quaedam vult *absolute*, quaedam autem non nisi *ordine* certo & *conditionate*. Ubi Theologi distinguunt ex *Tertulliano*

tulliano, Chrysostomo & Damasco inter voluntatem antecedentem & consequentem ; cum omnium hominum salutem serio cupit Deus antecedenti voluntate , eorum, qui finaliter credunt , salutem voluntate vult consequente. Qua distinctione nil conceditur Pelagianis & Remonstrantibus in Dogmate de libero arbitrio. Nec inefficax Deo velleitas tribuitur , qua vellet aliquid, quod aut nollet effectum, aut non posset efficere , uti distinctionem eam absoluti decreti Patroni traducunt ; sed Deus secundum scripturas doceatur agere juxta placenter sibi ordinem, quem ut videt observatum ab homine, ita gratiam impertitur salutemque, ut neglectum autem, iram decernit & condemnationem. Alias quod attinet eam distinctionem voluntatis antecedentis & consequentis potest ea prorsus omitti si contra adversarios agamus, tricas inde captantes, quemadmodum hodie fit in controversia terministica gratiae Pietistarum. Siquidem dia veritas absque illa distinctione fatis sibi constat quando Deus dicendus est in regno gratiae agere per gratiam regni & differre omnem vindictam ad gloriam regni futuri, ex quo quaedam Exempla ceu praelusiones futurae irae in regno gratiae offenduntur. Regnum gloriae autem habet praeimia futurae vitae apud fideles & beatos; & poenas futurae mortis inter incredulos & damnatos. Haec distinctio inter regnum gratiae & gloriae est manifestissima secundum quae voluntas divina consideratur, in qua possimus abstinere a distinctione praecedenti. Vanissima autem est & insulsa distinctio Marciana, qua docet, DEUM quaedam velle (primo) approbative & imperative, ut etiam velit decretive & operative efficiendo in suis & ipsum velle & ipsum agere Phil. II, 13.

(secundo)

(secundo) quaedam esse quae *improbet & prohibeat*, & tam  
men velit & *sinat fieri*, cuiusmodi sint peccata, quae praeter  
illius voluntatem non eveniant, licet fiant contra  
eius voluntatem. (tertio) quaedam esse, quae Deus  
velit *mandando & approbando* ceu justa, & naturae suae  
convenientia, quae tamen *non velit in omnibus operari*,  
ut, cum dicatur, nolle mortem improbi, sive potius ea  
non delectari, sed ut convertatur & vivat *Ezech. XVIII.*  
v. 22. Posterius enim membrum prorsus falsum est,  
praesertim in desiderio salutis humanae, quam adeo  
omnibus & singulis vult Deus obvenire, ut & conver-  
sione illorum delectetur & mortem aversetur. Secun-  
do confunditur voluntas Dei & permisso; mala quae  
secundum methodum rationalis & liberae creaturae si-  
nit fieri, non vult fieri, quae detestatur. In tertio Vo-  
luntas obsecundans fidelium habetur ut effectus divi-  
nae voluntatis absolutae, qui est voluntatis ordinatae &  
resistibilis, cum operatio Dei per concessam gratiam in  
volente fideli admissa supponat ordinem Dei, non inge-  
rat absolutam Dei volentis efficaciam.

### *Thef. XIV.*

Voluntas divina maxime in amore & justitia ejus  
elucet. Quae de amore *benevolentiae & complacentiae*  
disputant Reformati Doctores, objectum benevolentiae  
faciendo electos ante fidem in Christum; complacen-  
tiae autem objectum per fidem Christo insitos, adversa-  
sunt toti officio benevolentissimi in peccatores totius  
mundi Servatoris nostri *Joh. III, 16.* Contra *Maresium Sy-*  
*stem. Loc. II. §. 55.* ita vapulat distinctio Pontificiorum *in gra-*  
*tiam gratis datam & gratum facientem*, utramque expli-  
canti-

C

cantium de inherentia in nobis, eamque justitiae coram Deo meritoriam; cum ex mera gratia non ex nostris operibus, tantumque ex Deo, non ex nobis grati simus & justi *Eph. II, 8. Rom. XI, 6.* Cum Dei gratia semper fit efficax & sufficiens omni in conversionem, distinctio gratiae in sufficientem & efficacem perperam tribuitur Theologis *Lutheranis*, etiamsi sufficientem propter obstacula malitiosa saepe impediri per disertam experientiam asserant, ipso Spiritu veritatis attestante *Aetor. VII, 25.* Misericordiam specialem ex falso definiunt Reformati, qua Deus ex omnibus lapsis quosdam elegerit, quos redimeret & servaret per Christum; cum misericordiae objectum sint miseri peccatores omnes, non soli electi, nec posit misericordia Dei se in peccatores, justitia interpellante, effundere absque compromisso suae satisfactionis praestandae.

### *Thes. XV.*

Quae Philosophi disputant de *Justitia commutativa* & *distributiva* ad hominum pertinent negotia; de Deo nequeunt pronunciari, quandoquidem proportiones quae dicuntur inter Deum & homines non inveniuntur. Commutativae enim justitiae proportio tribuitur arithmetic, secundum quam accuratissime ea quae commutantur sunt computanda. Distributivae tribuitur Geometrica, in qua in aequales portiones secundum arbitrium distribuentis ordinantur. Quid autem inter Deum justissimum, imo infinite justum & inter accipientem peccatorem potest esse proportionis, cum in nobis juxta *Augustini* dictum, sua dona coronet Deus, cum benefacit, non nostra merita; & cum punit, ab infinito partae

partae justitiae merito & repudiato incomprehensibilia  
sunt ejus judicia *Rom. XI, 35.* *2. Cor. IV, 7.* Contra *Pontificios* & *philosophos quosdam Aristotelicos.* Quemadmodum  
autem per naturam est misericors; ita per naturam est  
justus Deus; & uti cum placata justitia effundit miseri-  
cordiam, ita illa non agnita a peccatore & repudiata  
exercet vindictam, ut justissimus Judex & vindex spre-  
tae suae bonitatis *Rom. I, 18. 32.* *Ezech. XVIII, 4. 2.* *Theff. I, 6.*  
Contra *Socinianos* & *Arminianos ac Reformatos*, per factos  
limites placatae justitiae limitantes misericordiam, ne  
credatur in omnes diffundere se peccatores. Vid. *2. Co-*  
*rinth. V, 15. 21.* Si unus pro omnibus est mortuus omnes  
mortui censemur. Fecit enim, ut qui non novit pecca-  
tum, pro nobis peccatum fieret, ut fieremus justitia Dei  
in eo.

## *Thef. XVI.*

Potentiam divinam male distingvunt *Reformati*,  
quando omnem potestatem in coelo & in terra ab o-  
mnipotentia separant, non agnoscentes, potentiam Dei  
esse, & omnem in coelo & in terra potestatem, adeo-  
que infinitam omnipotentiam *Luc. XXII, 69.* Quo pra-  
vo admodum invento limitare intendunt potestatem  
Christo concessam secundum humanitatem, ut negare  
possint communicatam ipsi omnipotentiam, cum cer-  
te communicata omnis autoritas, uti *πάσην ἐξουσίαν* Beza  
interpretatur, non possit non inferre majestatem divi-  
nam, ex qua totum Christi regimen est secundum u-  
tramque naturam, in Ecclesiam, & totum mundum.  
*Matth. XXVII, 20.* *Hebr. II, 8.* *1. Corinth. XV, 27. seqq.* *Apo-*  
*cal. V, 12.*

C 2

*Thef.*

## *Theſ. XVII.*

Itidem male diſtingvunt potentiam *in actualem* & *absolutam*, illam facientes irreſtibilem, hanc ad multa alia quam quae fiunt referentes; quod ultimum mem- brum ut recte habet, ita non habet recte in oppositione ad potentiam actualem, quae diſidi debet in *ordinatam* & *absolutam*; Illa agens Deus non agit in causis ſecundis liberis irreſtibiliter, quod attinet ſalutem hominum; hac autem agens, quandoque irreſtibiliter potest dici agere, ad quam actionem tamen afferendam non per- tinet dictum *Act. IV, 28.* nec *Psalm. CV, 6.* nec *Eph. I, 2.* Nam primum dictum, Dei conſilio deſtinatum filium in homi- num Redemptorem, docet, absque ullo hominum ange- lorumque concursu; ita tamen ut id in compromiſſo & obedientia Filii fundetur. Uti igitur abſoluta poten- tia primo respectu id potest dici factum, tamen ſecundo non potest dici, quo pertinet & allegatum *Eph. I, 2.* Pa- riterque hoc ordinem Dei inſinuat, quo per fidem in Christum ſeu in Christo dicitur facta electio noſtra, quod fit beneplacitum divinae voluntatis. Ex *Pſalmo* quod allegatur, Deus noſter in coelis eſt, quicquid placet, fa- cit, Dei omnipotentiam afferit, ſed ordinem in agendo, ſecundum placitum conſtitutum, non tollit, nec abſolu- to jure in curanda ſalute hominis iſum agere docet, qui credentibus in Filium promiſit vitam, finaliter au- tem infidelibus abrogavit *Job. III, 12. ſeqq.*

## *Theſ. XIII.*

Ineptiſſimi ſunt & Philosophi & Theologi, qui ad docen- dam infinitam Dei potentiam Deum quoque per actum  
infi-

infinitum dicunt posse creare, & ita conditum esse mun-  
dum simplicibus obtrudunt, quod & sana ratio potest  
refutare, quæ duo infinita actu non admittit, & Theo-  
logia vera omnem creaturam Dei finitam esse docet;  
Deum autem unum infinitum. Ita docere potentiam  
DEI esset Deum negare & ei infinitum quoddam oppo-  
nere. Opponunt quidem, quantum in infinitum posse  
extendi, id est cum extensum sit, plus extendi, & quan-  
tum discretum ita posse augeri, ut porro augeatur. Ast  
de tali infinito hic non quaeritur, sed de eo, quod actu  
absoluto est infinitum seu categoretice tale, ut *Logici*  
loquuntur.

### *Thef. XIX.*

Deus credendus est unus, in oeconomia Sanctissi-  
marum trium Personarum. Qui hoc mysterium salu-  
tis ignorat, aut inficiatur, non potest vitae aeternae com-  
pos fieri. Contra *Antitrinitarios* veteres & recentio-  
res, omnesque illos, qui mysterii sublimitatem oppo-  
nunt, ut aut ipsi id nolint credere, aut ignorantiam ejus  
in aliis excusare, quod faciunt *Arminiani*, & ex *Syrracti-  
cis Pietistis* nonnulli. Rechte *Bernhardus* de hoc mysterio:  
*Hoc scrutari temeritatis est; credere pietatis: Nossa vero  
est vita aeterna; Id est, quod videtur velle inquisitionem*  
non revelatam alienare a veritate revelata. Ideo cre-  
dendum esse simpliciter id, quod est revelatum, quod est  
obsecundare voluntati divinae, & pietatem fidei exhi-  
bere; inde notitia infallibili creditae veritatis sperandam  
esse vitam aeternam. Et haec est sapientia in myste-  
rio, cuius principium cognoscendi est sola revelatio;  
uti γνωστὸν τῷ Θεῷ vocari potest illud lumen naturale,

C 3

quod

quod Deum nobis quadantenus in essentia, ut Dominum Judicemque universi repraesentat; Quod lumen posterius primo illi non est opponendum, ut faciunt *Judaici* & Antitrinitarii homines, sed subordinandum, & ex eo illustrandum est *Johann. XVII, 3. cap. I, 4. seqq.* De quo articulo absolute in salutem nostram necessario hae phrases Scripturarum sunt admodum notandae, cum Deus vocatur Pater Domini nostri Jesu Christi. Inde enim monemur, non esse Deum ullum alium, quam Patrem Domini nostri Jesu Christi. Inde Sancti Apostoli verum Deum discernunt, tum a gentilium Diis, tum etiam a Deo gentis Judaicae, quae tibi ejusmodi fingit Deum, qui sit quidem creator coeli & terrae, & liberator populi Israelitici ex Ægypto; non autem sit Pater Dn. Jesu Christi. *Quemadmodum & Muhammed Doctrinam de Deo, qui Filium coaeternum sibi genuerit, tanquam horrendam blasphemiam, armis proterendam censet.* Nos vero insistentes sanctorum Apostolorum vestigiis, Deum aliquem, praeter Patrem Jesu Christi ignoramus. *Qui cum nec essentia nec cogitatione possit a Filio separari; recte affirmat Christus; Nemo novit Patrem nisi Filius & cui Filius voluerit revelare Matth. XI.* Recte etiam *Johannes I. Joh. II.* *Quis est mendax, nisi is, qui negat Jesum esse Christum; Hic est Antichristus, qui negat Patrem & Filium.* *Quisquis negat Filium, is ne Patrem quidem habet.* Quia sunt Trinitatis personae essentialiter unum, ut qui unam ex illis neget, protinus totam Trinitatem neget. Vid. *B. noster Aegid. Hunnius in Cap. I. ad Ephes.* Unde patet a confessione unitatis Dei non procedere argumentum ad confessionem veri Dei, siquidem Deus essentia unus se revelavit ut unum

unum in Trinitate. Qui igitur Trinitatem unius non confitetur, non credit unum. Quae oppido sunt adnotanda pro infallibili fide Christianorum adversus omnes, qui Trinitatem divinam in simplicissima una essentia inficiantur.

## Thes. XX.

In Socinianismo colluvies est illorum omnium errorum, quos Ecclesia Catholica in haereticis omnibus ferre seculis, adversus hoc mysterium condemnavit, furante Satana contra hanc fidem, tanquam humanae salutis arcem. Ex priscis haereticis fuerunt *Sabelliani*, qui unius Essentiae divinae, unam dicebant Personam, sub alio atque alio nomine manifestatam. *Arriani* docebant, Filium esse creatum Spiritum, qui quondam non fuerit, creaturis caeteris anteriorem; Patri quidem ὁμοίσιον similis essentiae non ὁμόσιον ejusdem essentiae. *Samosateniani* & *Photiniani* Filium Dei nudum hominem dictabant. *Macedoniani* & qui Spiritus Sancti personalitatem non agnoscebant, πνευματομάχοι omnes, eum de dono tantum aut affectu, aut instinctu divino, declarandum censebant. Ex novis *Servetiani*, a Servetio, qui Personae nomen Theatro usurpatum, in Deo itidem aliam atque aliam faciem induere blasphemabat, eodem supposito manente. *Tritheit* & *a Valentino Gentili*, qui in tribus personis tres Essentias dixit, unam essentiantem, duas essentiatas, quos nonnulli sequuntur *Anabaptistae*, tres essentias fingentes, quarum una reali a caeteris separatione possit esse in coelis; caeteris in terra subsistentibus. Haec praecipitat homines mysterii sublimitas, cuius revelationem cum ratione composituri technis  
Satanae

irretiuntur, & salute aeterna excidunt. In *Socinianismo* hodierno omnis illa pravitas deprehenditur. Vid. ex nostris *B. Dn. Calovius* & *B. Scherzerus* in scriptis Anti-Socinianis.

## *Thes. XXI.*

Ad has in mysterio supra coelos sublimato absur-das explicationes, si cum ratione contendatur, pertinet eorum argumentatio, qui a Trinitate Personarum tres Deos derivabant, non attendentes, Personas in divinis participare numero eandem non multiplicabilem sed in-finitam Essentiam, ita omnibus communem, ut singu-lae totam participant; quae communio unitasque non est in hominibus multis, specificam multiplicabilem in Individuis habentibus Essentiam, non eandem numero. Haec fuit haeresis *Philponi*, *Valentini Gentilis*, & aliorum Tritheitarum *Nicephorus L.5. hist. eccles. c.50.* Philoponum, Grammaticum celebrem Alexandrinum in Aristotele versatissimum, praefectum facit Tritheitarum. Vixit tempore Concilii Chalcedonensis A. C. 535. Cui se oppo-nens lapsus est in errorem Monophysitarum. *Aretius Bernensis. Theologus in problem. Theologic.* memorat Philo-ponum docuisse Personas habere Essentias quidem sin-gulares, attamen aequales, uti tres homines habeant. *Valentinus autem Gentilis* eas praeterea gradu & digni-tate inaequales esse dixit. Peccavit uterque enormiter, mysterium supra rationem collocatum ad rationis Cy-nosuram trahendo. Aequalitas enim Personarum Tri-nitatis non est in Essentia divisa, quae est inter Homi-nes, sed in Essentia una infinita. Nec est gradus & di-gnitas inter quos est Essentiae singularissima unitas.

Uni-

Unitas illa in tribus personis explicat se se (1) *Consuetudinalitate*, qua personae non sunt Essentiae similis, sed prorsus ejusdem in indivisa & indivisibili unitate (2) *æqualitate* totius Majestatis, *Joh. V, 19, 20.* sicut Pater habet vitam in seipso, ita dedit Filio habere vitam in seipso. (3) *CircuminceSSIONE*, qua per essentiam Pater est in Filio & Filius in Patre, ut creditus Pater credendus sit in Filio, & in Filio viso credendus sit videri Pater *Joh. XIV. 1, 9, 10, 11.* Contra *Arminianos* & *Socinianos*.

## *Theſ. XXII.*

Prisci *Ariani* hoc argumento impugnabant pluralitatem personarum in divinis: *Quicquid de Deo dicitur*, non secundum accidens, sed secundum substantiam dicitur. Ergo ingenitum esse Patri est secundum substantiam; & genitum esse Filio est secundum substantiam; diversa est ergo substantia Patris & Filii. Ad quod argumentum ita respondet *Augustinus L. V. de Trinitate c. 3.* Si quicquid de Deo dicitur secundum substantiam dicitur, tum quod dictum est: Ego & pater unum sumus, secundum substantiam dictum est; Una est igitur substantia Patris & Filii. Aut si hoc non secundum substantiam dictum est, dicitur ergo aliquid de Deo non secundum substantiam, & ideo non cogimur secundum substantiam intelligere genitum & ingenitum. Ita per retorsionem quidem acute respondet *Augustinus*; Caeterum non sat explicate pro mysterio, ex cuius sinu haec & alia ejusmodi sophismata sunt confutanda. In Deo scilicet non est accidens, quod Essentiae inhaereat. At adfunt relationes personales essentiam explicantes, per quas di-

D

citur

citur Deus, seu pater esse ingenitus, & Deus seu Filius aeternus esse genitus; inde non sequitur diversam utriusque esse substantiam, sed esse distinctionem personarum Patris & Filii. Genitum enim & ingenitum esse de Deo dicitur, non quatenus Deus est, sed quatenus est divinitatis persona. Responderi etiam posset ad argumentum *Arrianorum*: quicquid de Deo dicitur semper dici secundum Essentiam seu substantiam essentialiem. Nam quicquid in Deo est, est mera veritas Essentialae simplicissimae citra ullam subjecti & accidentis compositionem. Quando ergo de Deo dicitur ingenitum & genitum esse, pertinet, ad declarandam essentiam divinam in substantia divinitatis, qua dicitur esse Pater substantialis & Filius Consubstantialis unius ejusdemque Essentialiae. Ita explicatur difficultas objectionis, quae nulla est, ex ipso sinu mysterii revelati, quod nullis objectoribus rationis humanae est obnoxium.

### Thef. XXIII.

Disputatum olim fuit inter Graecos & Latinos praecipue, *An sint tres in divinis substantiae*, sicut tres sunt personae? Inde *Hilarius de Synodis* affirmat, se interfuisse cuidam Synodo, ubi expressè admissum sit in divinis esse tres substantias scilicet relatives, non absolutas. Si quidem in divinis una est absoluta substantia, uti substantia dicitur a subsistendo seu per se essendo, uti & Graeci vocant *στοιχεῖα*. Cum autem sumitur substantia pro individua substantia naturae rationalis, quemadmodum *persona* a Scholasticis definitur, tum recte dicitur, esse in Trinitate tres substantias, alienato significatu

catu Logico, quo substantia dicitur accidentibus substantia, quo sensu recte docuit *Augustinus L. 7. de Trinit. c. 5.* Deum abusive dici substantiam. An tres Hypostases debeant dici, Graeci olim, quod Hypostasin explicarent de supposito, non dubitaverunt. At *Latini*, ne dicendo tres Hypostases, existimarentur docere tres Es- sentias, tres personas maluerunt dicere. Unde *Hiero- nymus ad Damasum Ep. 57.* ita scribit : Sufficiat nobis dicere unam substantiam & tres personas; taceantur tres Hypostases, & una teneatur. Nomen hoc non bonae est suspicionis. Demum in *Concilio Alexandrino* pruden- ter est decretum, ut Catholici, si agerent cum *Sabellianis*, dicerent esse tres Hypostases, ne cum illis unam divinitatis personam viderentur afferere; Si autem cum *Arianis*, non dicerent tres Hypostases, ne tres essentias cum illis docere crederentur Vid. *Becanus in Theolog. Scholast. de SS. Trinit. c. 3. qu. 7.*

## Thef. XXIV.

Quid in sublimi hoc articulo suis terminis declaran- do *Scholastici* Doctores laborent, paucis considerabimus. Recte docent secundum divinam revelationem eam- que articulatam, unum esse Deum, sed in una Deitate tres esse realiter distinctos, adeoque alium, & alium, & alium, quae patent absque terminorum usitatorum es- sentiae & personae applicatione. Haec ut declarant, docent (1) *Quinque esse notiones*, quae tradant rationem cognoscendi distinctionem personarum inter se, & esse, innascibilitatem, Paternitatem, Filiationem, Spirationem activam, & processionem. Ex illis (2) docent quatuor

D 2

resul-

*resultare relationes*, quia innascibilitas non sit relatio, quae tantum dicat negationem relationis, & principium originis caeterarum personarum sistat, in persona prima. (3) Esse inde *quatuor* quidem *proprietates*, sed *tres* tantum ex illis esse *personales*, cum spiratio activa sit communis Patri & Filio, atque adeo distinctam personam non constituat, uti innascibilitas non faciat personam, sed principium primae personae a seipso ostendat, uti Spiratio activa Ostendit principium procedentis a Patre & Filio Spiritus S. Inde patere dicunt, eandem rem, v. g. Paternitatem posse esse notionem, relationem, proprietatem, & personalem proprietatem; dici enim notionem, quatenus sit ratio cognoscendi patrem, ut ab aliis distinctum personis; Relationem quatenus pater referatur ad Filium; proprietatem, quatenus uni tantum conveniat personae; & personalem proprietatem quatenus constituat personam inesse personae. Porro doceat esse *actus notionales*, qui in *Concreto* sint, *generare* & *Spirare*, seu dicere & diligere, in *abstracto* *generatio* & *Spiratio*. Notetur hic dicere in divinitatis sinu esse actum generationis; diligere autem esse actum unitivum seu spirationis; Inde Filius a Patre est & Spiritus Sanctus a Patre & Filio. Atque ita hos actus esse notionales, qui dicant distinctionem plurium; qui actus distinguuntur ab *essentialibus*, qui sunt unius *Essentiae* omnium personarum. Quid autem lucri sit in claritate mysterii explicandi per Scholasticas has distinctiones, oppido patet, fin (1) illis opponamus simplicem de tribus in divinitate personis doctrinam, quae inter se distinguuntur, ut Pater, a quo Filius; ut Filius, qui sit a patre; ut Spiritus, qui ab utroque

troque ineffabili modo spiretur. (2) Si attendamus in-  
nascibilitatis notionem, etiam Spiritui S. posse compe-  
tere; aut sin patri soli competit, ut principio Filii, non  
competere eidem ita, ut simul principio Spiritus Sancti;  
aut sin & hujus respectu competit, debere eam comple-  
ti & negationem spirationis passivae, uti neget ge-  
nerationem passivam, qui tamen respectus in termino  
ipso non continetur, nisi explicatione demum Doctoris  
introducatur. Imo deberet ejusmodi fieri terminus,  
qui, ut innascibilitas dicit negationem generationis, ita  
dicat negationem Spirationis passivae in Patre & Filio,  
quae posset dici *inspirabilitas*. Et videtur dicendum  
esse, negationem originis non esse proprię notionem, &  
relationes personales in ordine subsistendi, omne illud  
momentum quod facit ad discrimen personarum cre-  
dendum, absque illis notionibus exprimere. Caete-  
rum distinctiones, quibus profunditatis mysterii, reve-  
lationi tacitas, humana ratio rimatur, non afferunt lu-  
cem, sed tricas & tenebras, quod saepe fit Scholaftico-  
rum intricatis speculationibus. Interea ut mysteriis  
ipsis possunt rite accommodari, ita multam identidem  
tenent declarationem; ut spernenda sint calumniae *Pie-  
tistarum*, Atheismum potius quam Christianismum pro-  
fitentium, qui negant in mysteriis terminos & formu-  
las ecclesiae Symbolares esse usurpandas, cum illae rixas  
pariant, & de Essentia divina praeterea, quod sit infi-  
nita & bona, non esse movendas quaestiones.

### *Theſ. XXV.*

DEUM credendum esse unum sub oeconomia  
trium personarum, jam supra diximus. Mysterium

D. 3

igitur

igitur Trinitatis non potest salva hominis salute a quo-  
quam ignorari. Igitur & Fideles Veteris Testamenti  
illa doctrina fuerunt salvati, licet eam, qua fideles Novi  
Testamenti fruuntur, claritatem & declarationem non  
habuerint. Omnium enim temporum veritas est, non  
certis seculis alligata, quae proponitur dictis *Job. X, 23.*  
*qui non honorat Filium, non honorat Patrem.* Et notitia  
Filii ac Patris tam arcte connectitur, ut ignoratio alte-  
rius sit ignoratio utriusque *Matth. XI, 27.* & qui sine co-  
gnitione Christi fuerunt jam ante Christum exhibitum,  
dicuntur fuisse absque DEO *Eph. II, 12.* Servator igitur  
necessitatem medii illius doctrinalis, quae dicitur, ostend-  
furus *Marc. XVI, 16.* cupientes salvare ita instruendos esse  
docet *Matth. XXVIII, 19.* *Ducete omnes gentes, baptizantes*  
*eos in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. Conf.* *Job. XVII, 3.*  
*Act. XV, 11.* Quandoquidem oeconomia salutis credenda  
est secundum ordinem sanctorum personarum, & non  
potest in animo nostro concipi Fides Filiationis, qua  
una constituimur haeredes aeternae vitae, nec potest  
nobis lumen salutis affulgere, nisi affulgente doctrina  
de amore Patris per meritum Filii in sanctificatione  
Spiritus consolantis. Quia oeconomia habemus παρηγόταν  
status filialis, sine cuius cognitione & certitudine impos-  
sibile est ullum hominem salvare; Contra Photinianos,  
Arminianos & Syncretistas Veteres & novos, qui non ad-  
modum multum interesse judicant, qua fide salvati sint  
veteres, aut qua salvandi sint hodie, qui unum DEUM  
credunt, modo pietate morum commendentur. Quo  
pertinet pestilentissimum scriptum Autoris anonymi  
*de indifferentismo religionum.* Si enim indifferentes sunt  
religiones, id est, si in unaquaque differentium potest  
obti-

obtineri salus, nil attinet admodum de falsis prophetis & haereticorum seductione disputare, quas cautelas tamen ipse DEI Filius & Apostoli magnis argumentis usurserunt. Cum doctrina haec tota revelato DEI verbo innitatur, & supra omnem rationem humanam sit eveneta, nil demonstranda ei apportari potest ex Philosophia *Platonis*, ut nuper dicitur inani fastu impletus JCtus alicubi tentavisse, nil ex *Philonis Judaei*, nil ex similibus e natura petitis; licet quoad hominem allegari, & pro illustratione quadam apud rudes usurpari possint, nil inquam pro demonstrando mysterio inde potest allegari. *Augustinus* aliique prisorum pro declaratione apud rudes adhibuerunt similia de Sole, ejusque radius & Luce; de tribus animae facultatibus, intellectu voluntate & memoria; de arboris radice, trunco & ramis; ut perperam illa similia ab aliis impugnentur, Moſe *Amyraldo in Diff. de Trinitate. &c.* Quae non in alium finem, quam illustramenti 'cujusdam sed insufficientis, & post revelationem demum, ad credibilitatem quandam a simplicibus hauriendam, proponenda sunt. Contra nimium conantes hic Jesuita, *Opalenum de Officiis*; *Chemistas*, qui ex Hermeticis suis principiis sale pulphure & Mercurio, SS. Trinitatem demonstrare inani conatu annituntur. Scripta *Mercurii Trismegisti*, *Sibyllarum* itidem, illustribus admodum de mysterio SS. Trinitatis referta radiis, commenta sunt Veterum Christianorum, quibus existimabant posse adminiculum fieri conversioni gentium; quo facto fallebantur, quandoquidem DEUS scriptis mendacibus in salutem animalium non utitur. Contra *Marsilium Ficinum*, & ali-

os

os ejusmodi scriptorum suppositorum commentatores.

*Theſ. XXVI.*

Invincibilibus autem ex scripturis argumentis Mysterium hoc afferitur, tum, ut creditum est in Veteri, tum ut declaratum in N. T. Nam pluralis אלהי־<sup>אֱלֹהִים</sup> cuius singulare est אלהי־<sup>אֱלֹהָה</sup> uti ab Adon, Adonim & Adonai cum est, quid aliud potest, quam multos significare, & junctum verbo singulari, quid aliud indicat, quam in una Essentia pluralitatem, uti *Gen. I. 1.* In initio creavit אלהי־<sup>אֱלֹהִים</sup>, ubi commentatores Judaeorum afferunt, non posse quenquam ita loqui, nisi DEUS ipse suo verbo ita esset locutus, quae pluralitas dissertissime ponitur *Gen. I, 26.* Faciamus hominem ad imaginem nostram. *Cap. III, 22.* Homo sicut unus ex nobis, & *Cap. IX. 7.* Descendamus & confundamus sermonem illorum. Nec ullus locus est, qui Elohim de una persona usurpet, nisi cum de aliquo, qui DEI loco est, uti *Exod. IV. 16.* de Mose, qui debeat Aaroni esse in Elohim; aut de Filio Hominis in Thronum DEI suffecto *Ps. XLV, 7.* usurpat. Ita Filius DEI vocatur Elohim non insingulari persona, sed in communi cum caeteris maiestate constitutus, uti Moses datur Aaroni in Elohim, ut in vicem Dei, qui Elohim est futurus. Inde in trinarepetitione Essentialis nominis Jehovah, quod singulorum est totum, ob simplicissimam & individuam essentiam, est numerus distinctorum trium *Num. VI, 23. seqq.* & attributum sanctitatis essentialis in Cantico Seraphinorum ter repetitum, indicat Trinitatem caelesti doctrinā, in objecto adorationis ponendam. Inde cum Dominus a Do-

a Domino dicitur ignem misisse *Gen. XIX*, 24. cum Dominus Domino loqui *Ps. CX. 1.* cum Dominus miserere propter Dominum *Os. I, 7. Dan. IX, 17.* nonne Oeconomia personarum sanctorum, ut credenda fidelibus proponitur ? In hanc respicit agonizans jam fere, & benedictionis vota expediens Jacobus Patriarcha *Gen. XLIX, 15. & Conf. Ps. XXXIII. 6. Ef. XLVIII, 16. Cap. LIII, 1. LXIII, 9. 10. Hagg. II. 6.* Uti autem declaratum est in N. T. mysterium hoc, illustrissima sunt loca in baptisme Christi, ad quos Arianos incredulos mittebant prisci fideles, ut palparent quasi trinitatem & in nostro *Math. III, 16. Cap. XXVIII, 19.* quae explicantur *1. Job. V. 7. 2. Cor. XIII. 13. Job. XIV. 16. Cap. XV. 26. Apoc. I. 4. 5. Contra Photianos & omnes Antitrinitarios veteres & novos.*

## *Thef. XXVII.*

Ad uberiorem supra dictorum explicationem sequentia possunt quaeri: (1) quaenam igitur fuerit diserta fides Patriarcharum & Fideliū V. T. quoad hoc mysterium ? Resp. Tam disertam fuisse eorum fidem, quam necessaria fuit ad salutem eorum confessio, de Jehovah Patre, de Filio Jehovah, & de Spiritu utriusque Jehovah. Quae trium pluralitas nomine Elohim significabatur, uti essentia una infinita communis nomine Jehovah. Fuit igitur & diserta illorum fides circa oeconomiam trium, reparacionem hominum ad salutem procurantium. Ita promissio gratiosa Patris de Semine mulieris contrituro caput Serpentis erat amplectenda, quae contritio

E

divinae

divinae & infinitae virtutis opus, sanguine & morte  
seminis benedicti obtainenda, spem salutis Spiritus S.  
praeconio in Oraculis, typis, & sacrificiis hominibus  
peccatoribus propinabat, asserebat, confirmabat.  
Hanc Veterum fidem ex clariss. Mosis Prophetarum-  
que scriptis post resurrectionem suam Servator di-  
scipulis Emaunticis & caeteris deinde declaravit,  
ostenditque, stultos fuisse & corde ad salutem in-  
eptos, qui eam scientiam Filii DEI & Messiae moritu-  
ri pro peccatis hominum non habuerint *Luc. XXIV.*  
*Quaeri* (2) potest, quae sit praerogativa claritatis in  
fide mysterii hujus inter Novi Testamenti fideles ad  
fidem Veterum comparatae? Resp. Praerogativam  
claritatis N. T. habet (1) per exhibitum corpus  
Messiae seu ipsum Christum in carne comparentem  
& patientem, cum V. T. habeat promissionem tan-  
tum ejus figuram & umbram. (2) Explicator igitur  
est fides Patris & Filii in divinitate, per datum in  
carnem Filium visumque eum & palpatum, *I. Joh. I,*  
*v. 1. & seqq.* (3) determinatus trium personarum nu-  
merus in V. T. credebatur quidem, sed non enuncia-  
batur, ut fit in N. T. Quae silentii causa non est tolera-  
ta aut permissa mysterii ignorantia, sed est demanda-  
tum operosius in DEO Israelis cognoscendo scruti-  
nium, quod sub onere & umbra legali debebat te-  
neri, donec ad plenam lucis cognitionem & gentes  
in populum Israelis spiritualem congregandae advo-  
carentur. Inde crebro mysterium id tacitum pri-  
oris, & novis seculis manifestatum praedicatur *Act.*  
*XIV, 16. c. XVII, 30. Rom. XVI, 25.*

*Theſ.*

## *Theſ. XXVIII.*

Remonstrantium Doctor celebris *Phil. a Limborch* existimat, in traditione hujus mysterii ad avertendas & elidendas acres Christianorum collisiones, quibus invicem anathema dicatur, necessarium esse, sola phraſi Scripturarum uti, & omittere voces, quas humana excogitaverit industria. Aut enim phraſes, ita ratiocinatur, a Spiritu S. usurpatae ſufficiunt ad dogma hoc apte explicandum; aut Spiritus S. quod ſine blasphemia cogitari nequit, in praecipuis dogmatiſ, ut ab omnibus qui phraſes haſce legunt creditur, ex positione defecit. At vero cum explicandum eſt dogma ad fidem ſalutis clare docendum, non tantum phraſis scripturarum eſt usurpanda, ſed pariter docendum eſt, quid Spiritus S. illa phraſi voluerit ſub intellectum; quod non potest niſi aliis verbis terminisque fieri. E. g. Cum Pater, Filius & Spiritus S. dicuntur tres eſſe, ita diſtincti, ut nec inter ſe, nec in ordine, nec in oeconomia ſalutis humanae debeant confundi; jam non tantum dicendum eſt, eſſe alium & alium, ſed etiam explicandum eſt, terminis mysterio revelato accommodatis, quod diſtingvantur ut individua ſubſiſtentia, quos terminos adhibet ipſe *Limborchius*, vita, intelligentia, voluntate & potentia praedita, quae eſt deſcriptio Personae, termini in hoc mysterio declarando adeo neceſſarii, ut ad haereticorum fraudes elidendas, ecclesia commodiōrem jam ab antiquo uſu non invenerit. Spiritus S. in ſuo verbo fideles ſua phraſi informat, ut & ipsiſ ſe tentent in fide, & intellectus capta illustratione, edant

E 2

per

per alia verba sapientiae haustae documenta. Ut ut  
igitur phrasis Spiritus S. sufficiat ad tenendam my-  
sterii fidem , tamen inservit pariter ad faciendum  
scrutinium, & captae intelligentiae confessionem aliis  
verbis edendam. Perperam igitur haec opponuntur  
a Limborchio , quae haud crediderunt opposita sibi fu-  
isse Aquila & Priscilla in danda exegesi perceptae Apol-  
lini doctrinae salutaris *Act. XVIII, 26.* & hanc metho-  
dum semper tenuit Apostolica Ecclesia, praesertim in  
convictione haereticorum, ut aliis verbis expresserit,  
quae Spiritus S. sensa sui verbi volebat intellecta. Con-  
tra *Remonstrantes* & *Syncretizantes Pietistas & Chilia-  
stas*, Arnoldum preeprimis in abominabili scripto ,  
quod vocat **Kirchen und Reker-Historie** meretur  
enim vocari Arnolds Lügen-Geschicht / und Reker-  
Gedichte.

### *Thef. XXIX.*

Opponunt *Remonstrantes* de Filio DEI , quod ex  
illa denominatione non protinus poscit probari ejus  
aeternitas & consubstantialitas cum Patre ; cum illa  
appellatio & respectu creationis, per quam a DEO, ut  
prima originis suae causa, esse suum creaturae acce-  
perint , creaturis conveniat ; ut Adam vocetur Fi-  
lius DEI *Luc. III, 31.* & respectu excellentiae alicujus,  
quae Deum referat, ut Magistratus & principes dicantur  
*Ps. LXXXII, 6.* & tandem per gratiosum beneficium  
& adoptionem creaturis tribuatur *Ez. XI, 1. Job. I, 12.*  
Dici quidem Christum excellentiori ac singulari modo  
Filium Dei, ut dicatur unigenitus *Joh. III, 16.* & propri-  
us *Rom. VIII, 32.* & Pater pasim singulari ratione voce  
tur

tur Pater Christi; tamen si sola illa appellatio attendatur non posse inde fieri irrefragabile pro aeterna Deitate Filii argumentum, quoniam certum fit Domino nostro Jesu Christo, respectu humanae naturae, ob gratiosam divinae majestatis communicationem, Filii Dei appellationem in scripturis saepe esse attributam, & quidem (1) quatenus a Spiritu Sancto sit conceptus *Luc. I, 35.* (2) ratione muneris sui mediatorii *Ps. II, 7.* unde Judaeis promiscue nomina Messiae & Filii Dei sint usurpata, collatis locis *Luc. XXII, 66. 70. Joh. X. 35. 36.* (3) respectu resuscitationis ex mortuis *Act. XIII, 33. seqq. Rom. I, 4.* ubi dicitur potenter definitus Filius Dei per resuscitationem ex mortuis, (4) quoniam resuscitatus & ad dextram Patris evectus, constitutus sit haeres omnium bonorum coelestium *Hebr. I, 4.* Esse autem alia loca scripturarum, quae asserant ineffabilem & aeternam Filii, antequam ex Maria homo nasceretur, generationem, *Joh. I, 1. seqq. Cap. VIII. 58.* At vero Christus non posset vere vocari Filius Dei, nisi esset per aeternam generationem, qua opponitur Filiis ex gratia adoptionis, quae adeo sola generatio illum importat characterem, non autem facta communicatio Majestatis Filio Mariae. Nam communicatio majestatis non facit filiationem, nisi sit per generationem, alias & Spiritus S. posset Filius Dei dici, qui habet majestatem eandem cum Patre & Filio per spirationem passivam. Nec Mariae filius usquam intelligitur esse Filius Dei, nisi quod genitus est a Patre ab aeterno. An aliud velint loca a Doctore Arminiano allegata jam videbimus; (1) Dici vult Mariae filium Dei Filium, quoniam sit conceptus a Spiritu S. *Luc. I, 35.* Allocutio Angeli haec est: Spiritus S. superveniet in te, & virtus altissimi inumbrabit te, propterea & quod ex te nascetur sanctum, vocabitur

cabitur Filius Dei. Certe, quod dicitur fuisse in conceptione, id dicendum est fuisse in partu, uti recte hic censet *Cassianus*. Spiritus S. non dicitur operatus esse, ut ab illa operatione dicatur Filius Dei; sed virtus Altissimi qui est ipse Dei Filius, & illud Sanctum in conceptu adaptans sibi, cooperante Spiritu S. in sanguinis Virginalis sanctificatione, carnem, Filius verus aeternus Dei in nativitate comparuit, qui erat in conceptione. Non ergo vocatur Filius Dei, quod conceptus est a Spiritu Sancto. Nec (2) ratione mediatorii munera dicitur Filius Dei. Filius quidem Dei est mediator, & a revelatione mysterii humanae redemptionis nunc disertissime creditur Filius Dei esse Mediator; At ab officio Mediatoris non vocatur Filius Dei, quae ratio denominationis locis allegatis non docetur. *Pſ. II*, aeterna traditur generatio Filii per τὸ Σῆμερον aeternitatis, & ita maiestas Regis Sionitici doceatur, omnibus gentibus adoranda; nil quicquam dicitur per officium mediatoris Christum dici Filium Dei, qui Mediator est, ideo, quod est aeternus Patris filius. Nec aliud habet collatio ex *Luc. XXII. 66. 70. Joh. X. 35. Ita Act. XIII, 32. Rom. I, 4.* A resurrectione Christi docetur complementum promissionum Patribus factarum, & a potentia resurrectionis traditur declaratio aeternae generationis, non dicitur propter resurrectionem dici Filium Dei; quemadmodum & *Hebr. I, 4.* ab Haereditate coelorum non est Denominatio filiationis, quæ & in adoptatos filios pervenit; sed hereditas Christo tribuitur, ut naturaliter ipsi competens per jus aeternae a Patre generationis. Summa est, Christum esse filium Dei naturalem, nullo alio respectu, quam qui est a relatione propria Patris gignentis, quod autem ut homo est, & marie filius dicitur filius Dei, est a gratia unionis personalis, per quam ut revera est filius Dei naturalis, ita participat maiestatem divinam, & regiam sionis & haereditatem cœlorum. Adeo abludit a vero Arminiana objectio & dissertatio.

PHI-

PHILIPPVS LVDOVICVS  
HANNEKENIVS, D.

Praestantissimo Auditori suo & Respondenti  
CL. DNO.

JVSTO HENRICO LANG-  
SCHMIDIO,

Studiorum solidorum uberrimos proventus in  
Domino precatur.

**I**Ta vero plurimum Reverendo DNO. Pa-  
renti Tuo, Theologo & Pastori Lubecen-  
sium Jacobeo optime merito, omnibusque  
pariter Patronis ac Fautoribus Academi-  
cam vitam tuam approbas, ductumque rectis-  
simum Excellentissimi Matheseeos Professoris  
DN. KLAWSINGII reapse exhibes; quando  
post feliciter expeditas Philosophiae operas,  
Theologiae impensam diligentiam illustrissi-  
mo argumento ostendis. De DEO enim Trin-  
uno disputare, est agere de salutis humanae  
summo Articulo, de quo nunquam recte agi-  
tur citra accuratam oeconomiae intra SS. Tri-  
nitatis

nitatis personas explicationem. Suscepisti adeo  
in defendenda orthodoxa sententia stupendi  
mysterii declarationem, quam dum in Audi-  
torio solenni & variam eruditionem profiten-  
ti, animo forti constante fide suscipis, omni-  
bus auscultantibus, & pietatem patefacis &  
eruditionem, quae & Patria & Parentes & ami-  
ci Tibi gratulentur, dignumque Te Acade-  
miae VVittebergensis Civem & ad verae sa-  
pientiae adita contendentem Commilitonem  
depraedicent. Di laudandus est DE VS in his  
gratiae suae Tibi paterne concessis adminicu-  
lis, quibus Genitoris Tui optimi & exprimis  
vestigia & gloriam nominis feliciter conti-  
nuabis. Sic ominor, & de exantlato hoc spe-  
cimine Theologicae eruditionis. toto animo  
gratulor. Salveat a me venerabilis vestra fa-  
milia: cum redux in Patriam salvos offenderis  
Parentes cognatosque, singulos officiosissi-  
ma a me salute imperti. Dabam e Museo  
VVitteb. M DCC IV. pro Prid.

Id. Febr.

ঞেঙ্গু ঙেঙ্গু

১

Loh. Das. A. 115, v. 7